

www.e-rara.ch

Gothofredi Guillelmi Leibnitii - opera omnia

Philosophia in genere, & opuscula sinenses attingentia - Historia & Antiquitates ; Jurisprudentia

Leibniz, Gottfried Wilhelm
Genevae, MDCCLXVIII. [1768]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 10306: 4

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-46133>

Praefatio ad chronicon Coenobii Montis - Francorum Goslariae, [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

fieri constat, nisi qui magnis laudibus eminent, & Cardinales similes plerumque ab ipsis leguntur. Vitia erunt donec homines: interea adempto sceleribus regno, egregios viros Romæ in throno collocari, nostris temporibus gratulabuntur etiam qui Romæ non favent.

Claudam præfationem hoc uno adhuc observato: *Burchardum* Cæmoniarum in Romanâ curiâ Magistrum quædam dignissima notatu consignasse *de actis inter Legatos circa honores & præcedentiam*, & vel ob hanc causam meritum produci. Ita potior Hungarus, Scoto pag. 4. Montferratensis, Senensi ibid. Electores, Duce Burgundiæ ibid. Rex Romanus, Hispano p. 6. Gallo & Hispano p. 65. Addatur de lue inter Venetos & Sabaudos p. 24. Quomodo oratores Franciæ & Hispaniæ *percusserunt se cum capellis* p. 107. & res ita composita est, ut Hispanus primò Gallis cederet, secundò præferretur. Ne quid dicam de quæstione utrum Cardinalis pro Rege legationem apud Papam obire possit, aliisque id genus, quæ in brevi libello legi possunt.

P R Æ F A T I O

Ad Chronicon Cænobii Montis - Francorum Goslaricæ, editum Francofurti anno 1698. in 4^o. (a).

Multa in cænobiorum scriniis, & arcanis penetralibus abdita late re, quæ ad illustrandum studium historicum apprimè faciunt, nemo facilè negaverit, cui facultas concessa est, situ oblita, a muribus arrosa, & a blattis exesa eorundem documenta, diplomata, privilegia, tabulas & literas paulò accuratiùs inspiciendi. Nec enim ea ad sacram saltem, sed etiam ad profanam historiam explicandam utilissima, imò quàm maximè sunt necessaria. Inde cænobiorum, templorum, fanorum & facellorum ortus, altarium foundationes, & dotationes, ordinum monasticorum, fraternitatum, solemniium sacrorum, & rituum obsoletorum institutiones, Paparum, Archipræsulum, Abbatum, Abbatissarum, Præpositorum & Priorissarum cujusque ecclesiæ, indubitata series, privilegia peculiaria sacris locis concessa, ac demum fata,

nec

(a) Ignota fuit hæc Præfatio scriptoribus qui catalogum Leibnitianorum operum dedere. Illam præfixit Leibnitiæ noster Chronico Montis - Francorum Goslaricæ; cum autem verus hujusce Chronici auctor, se cognoscendum non præberat, non desuerunt qui falsò illud *D. Leibnitio*

tribuerunt. Sed indubitandum auctorem habuit *Christ. Lud. Kotzebucium* Medic. *Ernesti Augusti* Electoris Brunsvicensis primi. Vid. *Gelehrten Lexicon* *D. Joecher* Tom. II. ad vocem *Kotzebucii*, & *Bibliothec. Historic. Stryvio - Buderianam* Cap. *XVII.* §. 28. p. 1032.

nec non incrementa, & decrementa quarumvis Ecclesiarum, unicè ferè depromi possunt. Præterea nemo est, qui ignorat quantum emolumentum historiæ profanæ e diplomatum adminiculis accedat: quippe quæ bellorum veras origines, pacificationes, fœdera, permutationes, pacta antiqua, priscorum locorum nomina, terminos, distinctionem, temporum accuratissimam supputationem, imò Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, Dynastarum, & nobilium cujuslibet regionis stirpes, aliàs vel sub oblivionis squalore sepultas, vel sanè dubiis inextricabilibus involutas, luce meridiana clariùs ob oculos ponunt.

Hæc me quoque perpulere, ut collectis haud paucis Tabulis authenticis, historiæ canobii Montis-Francorum Goslariæ contexere decreverim. Haud equidem diffiteor, tantas mihi vires minimè esse, ut tale quid nitore debito, iustaque possim perficere elegantia: Id enim à viris in re historicâ versatissimis (quales inter innumeros alios sunt insignes illi *Meibomii*, avus & nepos) saltem expectandum erit. Non tamen ideò animum despondi, fat habens, qui tantorum virorum exempla, hoc est tanquam umbra corpus, sequar, & laboris impensi præmium sufficiens relaturus, si vel minimi quid in hæc opellâ occurrerit, quod lectori historiæ amanti aequaliter satisfecerit.

Exhibet verò hoc Chronicon tam urbis, in quâ situm est, quàm Cœnobii ipsius, quantum haberi possunt origines. His junguntur secundum annorum seriem, res hinc inde occurrentes, & memoriâ dignæ, interspersa brevi eorum narratione, quæ in vicinis terris suo quæque tempore contingere. Nec seriem Præsulum Hildesensium omittere fas duxi; quippe qui Francobergensium diœcesani fuere, atque adeò jure merito suo ordine enarrari debuere. Tandem de familiis Comitum, Dynastarum, & nobilium hisce in terris quondam longè lateque florentium quædam hinc inde addidi, sperans fore, ut hæc quoque lectori haud sint ingrata. Hoc, quicquid est, opellæ tibi offero B. L. ex animo optans, ut lectu digni quid in eadem tibi occurrat, operam, si id consequar, daturus, quò adhuc unum, aut alterum ejusmodi chronicon, plura, nec lectu forsan injucunda continens, suo tempore Francobergensè nostrum sequatur. (b) Hisce vale, benevole & sincere Lector, errores humanos hinc inde dubio procul sæpiùs obvios, ut homo, humaniter ferens. *Dabam e Museo III. Cal. Jul. anno MDCXCVII.*

(b) Revera idem *Kotzebucius* paulo post publicavit *Chronicon Hamelense*. Loc. cit.